

pellectile utebantur. Ea certatim a Græcis deferebantur, qui servandæ patriæ studio, atque egregiâ in Rempublicam fide, suarum rerum obliti, cuncta liberaliter effundebant. Feminarum quoque vel ex plebe, vel ex nobilitate tres aut quatuor manipuli quotidie ad mœnia ventitabant, Monaco Græco præeunte, qui cruci affixi Servatoris imaginem manibus gestans, religionem ac pietatem in animis excitabat; atque iis locis, qua verberatio fiebat, horæ spatium operi inservientes, aquam, saxa, ligna importabant; neque discedebant, quin vi lapidum in fossam jactu hostes, utcunque possent, offenderent. Amathi quoque Episcopus, e divi Dominici familia, Græcus genere, in Deum pietate, ac vitæ sanctitate insignis, auduis sermonibus cunctos ad pugnam pro religione ac patria intrepide obeundam incendebat; vexilloque Crucis munitus, qua atrocius fervebat prælium, præsens suafor, & impulsor aderat: qui mox dum in propinquo mœnibus horto orationi vacaret, glande ictus, ex humanis excessit. At noctu, disploxis e munitionibus tormentis, majoribus scloppis in Turcas ex caveis sub dio egressos contortis, ingentibus faxis e mortariis in vineas atque areas collibratis, complures hostium sternerantur; quacumque humum ad opera conficienda egerent, arte confecti ignes provolvebantur. E nostris glandium, ac globorum ictibus haud pauci in dies singulos deperibant. Tormentorum quoque peritiores magistri absolvebantur, quod inter collibrandum detecti in caput vulnerarentur. Ei detrimento ita occurrere; singulis tormentis quadratam cubitalem tabulam trientis crassitudine adhibebant: in inferiori parte parvo in pyramidis formam foramine confecto, ex quo tecti libratores ictus dirigere poterant: id reliquis, qui superfuerant, saluti fuit.

Verum in retractis ad exterius portæ propugnaculum aggeribus ingentem adeo ruinam Turcæ effecerant, ut dum a nostris interius reficiuntur, ab iis tormentorum vi, ac lignibus exterius sternuntur, area, in qua milites consisterent, penitus ablata esset, tabulatisque inter propugnaculum, ac portam erectis, aream, ex qua milites dimicare possent, ampliorem reddere necesse fuerit. Sed cum ægre tutari dirutum propugnaculum posse animadverterent, ut multo Turcis sanguine neceque constaret, sub sinistrum latus cuniculum, qui

1571

*Feminarum Tassienium in patriam caritatis & virtutis:*

*Amathi Episcopi pietas & obitus.*